



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae Historiae Decas Prima**

**Martini, Martino**

**Monachii, 1658**

Vigesimussextus Imperator Taitingus. Imperavit annis III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11848**

suspendit in aëre, qui specie cruoris inde rorantes, essent indicio, deum ac spiritus esse reverâ peremptos. Sed qui stolidè Cælum atque sacrilegè petijt, è cælo, dum esset in venatione, non bruto ictus fulmine interiit. A Sinis omnium flagitiosorum postremus & exlex inde dictus, ita animum inducentibus, non nisi sceleratos & perditissimos percussit de cælo, bonos innoxios esse. Tradunt etiam idcirco superis infestum fuisse, quòd fortuna nonnunquam suis rebus obstante uteretur. Hinc in ultionem amens excanduit, & Cælo se imperare posse credens, qui in homines dominaretur.

Eodem tempore, quæ ad Orientem vergunt insulæ perquam frequenter habitari coeptæ à Sinis, eò colonias ducentibus.

---

## VIGESIMUSSEXTUS IMPERATOR

### TAITINGUS.

Imperavit annis III.

*Cyclo 26. anno  
4. ante Christi-  
sum 1194.*

**T**AITINGO UUGEI filio continens cum YENE regulo intercessit bellum; quod morte præoccupatus, non confecit. Ceterum YEN regnum erat, ubi PEKING hodie, in eadem nempe provinciâ.

---

## VIGESIMUSSEPTIMUS IMPERATOR

### TIYEUS.

Imperavit annis XXXVII.

*Cyclo 26. anno  
7. ante Christi-  
sum 1191.*

**T**IYEUS TAITINGI filius imperium unâ cum bello propagando per manus accepit. Quia & novum subinde natum, ut ipsi felix sic YENI exitiale fuit. KILIEUS enim TAITINGI legatus bello strenuus, hostilibus copijs, quæ tres exercitus æquabant, deletis, captis totidem eorum ducibus, regnóque YENIS occupato, exutum potestate regem in ordinem redegit. Quâ victoriâ lætus Imperator, collaudatum KILIEUM Reguli beneficiarij dignitate exornat, ignarus, quantam familiæ suæ pestem arcesseret, nec in impetu gaudij